

Θλια, quæ ex variâ cum succis corporis nostri in primis viis & cum sanguinis mistione vulgarem denuò inducūt diversitatem, eò majorem vel minorem, vel prout magis aut minus sunt alimentosa temperata, aut medicamentosa seu excessiva, vel prout magis vel minus à stomachi fermento subiguntur & alterantur, in genere tamen sub supremo ☐nosi & acidi in tertio Θlfi unitorum conceptu, in microcosmo, sicut in macrocosmo considerantur.

Omnis itaque morborum curatio & contra hos medicaminum salutarium præparatio præsupponit exactam notitiam horum Θlium, & hisce cognitis pervenimus ad fermentorum ipsiusque fermentationis naturam & utilitatem.

Hinc radicales corporum solutiones & illuminationes æthereæ, liquorum attenuationes & præcipitationes, Θlium, volatilium fixationes & concentrationes, fixorum volatilisationes & sexcenta alia in naturâ miracula nobis manifestantur per unicam Θlium & fermentorum cognitionem. Horum autem naturam & exorbitantiam optimè declarant catarrhi, morbi illi frequentissimi, qui omnes ætates, sexus quoscunque mirum quantum in modum conquassant, horrendasque tragœdias per fermenta sua deleteria in corporibus nostris ludunt.

Arduum explicare horum naturam quidem videtur negotium, sed cum utile sit *ἐν τοῖς χαλεπωτάτοις ἀμα καὶ ἀναγκασιότατοις παιδύεσσι* constitui eorum indolem, loco inauguralis dissertationis pro legitimè consequendis in arte medicâ DOCTORALIBUS honoribus, immunitatibus atque privilegiis, brevibus jam (proximâ occasione proluxiori & politiori scripto fundamentis Hippocraticis superstructo, Neotericisque illustrato, quod hâc vice iter, morbus inopinatus, angustia temporis aliaque negocia impedivêre, eruditorum censuræ tradam) in scenam producere.

Tu summe medicinæ Conditor, clementer concede, ut salutaria, cogitemus, lucemque in densis ignorantia tenebris intueamur. Illustra conatus nostros fulgidâ sapientia tua luce, ut nostrum hoc institutum in divini tui nominis gloriam & medicæ reipublicæ incrementum cedat.